



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Dispvttationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

17 Quomodo prædicamentum ad aliquid sub vno supremo genere ordinari possit. vbi etiam di indiuidua distinctione relationum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

pria oppositio relatiua, hoc enim supra in hunc locum remissimus. Potest autem intelligi hæc oppositio aut inter relationem & terminum eius, aut inter relationem vnam vnius extremi, & alteram correspondentem illi in alio extremo, seu inter vnum relatiuum, & correlatiuum eius. Prior oppositio est generalis omnibus relationibus, etiam non mutuis, vt constat ex dictis, & ideo formalissime conuenit relationi vt sic. Constat autem in hoc, quod relatiuum vt sic, & terminus habent inter se talem habitudinem, & conditiones ita distantes, vt necessario requirant inter se distinctionem, nam relatiuum est id, quod aliud respicit: terminus autem est id, quod respicitur ab alio: atque ita ex propriis rationibus requirunt alietatem (vt sic dicam).

XL.

At vero posterior oppositio non est vniuersalis omnibus relationibus realibus vere ac secundum rem: nam quid relationibus non mutuis non conuenit, quamuis modo nostro concipiendi fingi posset ac si conueniret, quod ad præsens nihil refert. Inter relatiua autem realia, & mutua, ac relationes ipsas, intercedit relatiua oppositio, quæ non consistit in hoc, quod vna respiciat alia vt terminum, sed in hoc, quod vna respiciat vt terminum id, quod est fundamentum alterius, & è conuerso, seu (quod idem est) quia habent oppositas rationes, nam vna refert suum subiectum ad aliud, alia vero è contrario refert illud aliud ad id, quod erat subiectum alterius. Ex quo talem inter se habent repugnantiam, vt non possint ambæ relationes vni & eidem simul inesse, quia non potest vnum & idem esse fundamentum, & terminus respectu eiusdem. Qui modus oppositionis licet clarius appareat in relationibus, dissimilium rationum, vt inter paternitatem & filiationem, tamen etiam suo modo conuenit relationibus æquiparantiæ: quia licet sint eiusdem speciei, possunt in indiuiduo esse aliquo modo oppositæ relatiue: quia afficiunt sua subiecta secundum oppositas habitudines, ex quo repugnantiam habent in eodem subiecto. Quamuis autem hæc oppositio aliquo modo sit diuersæ rationis, respectu termini, & respectu correlationis, tamen quia concomitanter se habent, vbi quæ inueniuntur, ideo per modum vnius nominantur & iudicantur. Dici vero potest relatio opponi termino terminatiue, alteri vero relationi relatiue. Et hæc posterior est quasi formalis oppositio, nam est inter proprias formas quatenus se mutuo excludunt ab eodem subiecto, prior vero proprie est repugnantia relatiuorum, quia postulant distinctionem extremorum, quod significauit etiam D. Thom. questione 7. de potentia articulo 8. ad quartum.

SECTIO XVII.

Quomodo predicamentum ad aliquid sub vno supremo genere, per diuersa genera subalterna, et species vsq. ad indiuidua conserui possit.



Explicuimus fere omnia, quæ ad intelligendam essentiam relationis, & causas eius, & formalem effectum (non enim habet aliud) necessaria visa sunt: superest ad huius rei complementum, vt de subordinatione, conuenientia, & distinctione ipsarum pauca dicamus, vt ita totius predicamenti constitutio quasi præ oculis habeatur. Tria autem puncta in titulo questionis insinuantur, quæ ab aliis latissime tractantur, & à nobis breuissime expedienda sunt.

De supremo genere predicamenti ad aliquid.

¶ Prima ergo difficultas est, quomodo possint omnia relatiua ad vnum genus summum reduci,

Et ratio dubitandi est, quia essentia relationis est, vt eius esse sit ad aliud: ergo non potest ita relatiuum abstracti, quin ei aliud adæquate correspondeat: ergo non potest dari vnum genus summum, sed vt minimum debent esse duo, quæ se inuicem respiciant. Patet consequentia, quia non potest esse vnum & idem id quod respicit: tum quia in ipsa definitione continetur, quod debet esse aliud, tum etiam, quia non potest idem realiter referri ad se ipsum. Tum denique quia si essentia relatiui in communi esset referri ad se, hoc ipsum esset de ratione & essentia cuiuslibet relationis particularis, cum essentia superioris in inferiori includatur. Quæ difficultas vulgaris est in hac materia, & magnum faciesit negotium iis præsertim qui putant vnum relatiuum formaliter referri ad alterum correlatiuum vt sic, nam iuxta hanc sententiam, cum dicitur relatiuum in communi esse id cuius esse est esse ad aliud, necesse est subintelligi in definitione, ad aliud correlatiuum: vnde cum non possit idem referri ad se relatione reali, de qua agimus, necessarium erit, vt non sit vnum supremum genus, sed duo, quæ se inuicem & adæquate respiciant, sintque in se ipsa distincta.

Nihilominus tamen certum est posse dari vnum supremum genus omnium relatiuorum: nil enim refert de abstractis potius, quam de concretis loqui, & ex vno potest inferri aliud: Nam, si datur generalissimus conceptus relationis realis & prædicamentalis in communi, poterit etiam dari relatiui in communi, tum ob rationem proportionalem, tum etiam quia omni formæ abstractæ potest respondere constitutum, cum concretum illi adæquatum. Quod vero possit dari vnum supremum genus relationum, patet, tum ex ipso modo loquendi de relatione in communi vt sic, nam hic terminus communis est omnibus relationibus, & pro omnibus distribuitur, quia de omnibus vniuoce dicitur, & in quid. Tum etiam quia definitio relationis in communivnica est & omnibus relationibus prædicamentalis conuenit. Tum denique, quia si quis fingat duo illa genera suprema relatiuorum, inter illa inueniet conuenientiam essentialem in ratione essendi ad aliud: ergo ab eis abstrahere poterit conceptum vniuoce & essentialem vtrique communem, in quo etiam facile inueniet differentias extra illius rationem, quæ non sint completæ relationes: ergo.

Ad difficultatem autem positam respondent aliqui in definitione relatiui in communi cum dicitur esse ad aliud, per illud aliud, intelligi quidem correlatiuum, & illud non posse esse ipsummet, quod definitur vt sic, propter rationem factam, quod non potest idem realiter ad se referri. Nec etiam esse aliud quod aliud relatiuum æque commune, & non contentum sibi eo quod definitur, propter difficultatem tactam de vno supremo genere. Alii ergo per illud aliud importari singula correlatiua specifica vel particularia singularum relationum. Quæ est responsio Alberti 5. Metaphysicæ tractat. 3. capite. 7. & in prædic. Ad aliquid, ibique Simplicii & Boetii. Potestque ita exponi, quia licet relatio in communi definitur per esse ad aliud, tamen non exercet hoc esse ad aliud nisi in determinatis relationibus, & ideo non est necesse, quatenus abstractissime concipitur, intelligatur exercere munus relationis in ordine ad aliud correlatiuum sibi adæquatum: quia vt sic potius concipitur essentia relationis, quasi in actu signato, seu designando id, in quo consistit, quam in actu exercito, id est, exercendo illam habitudinem ad aliud in tota illa cōmunitate. Potius ergo intelligendum est illam rationem sic abstracte conceptam non exercere suam habitudinem ad aliud: nisi in suis inferioribus.

Quod etiam diuerso modo intelligitur in relatiuis æquiparantiæ & disquiparantiæ, nam in relatiuis disquiparantiæ, saltem in communibus rationibus specifi-

Specificis potest intelligi, vnum relatum commune referri ad aliud sibi æquale & oppositum, vt patet ad filium, maior ad minus. Et ratio est, quia cum hæ relationes sint diuersarum rationum, non concipiuntur vno conceptu communi specifico, & ideo possunt abstrahi duo conceptus communes æquales, & sibi oppositi ac correspondentes. Quod secus est in relationibus æquiparantibus, nam cum sint eiusdem rationis, habent eundem communem conceptum specierum, & ideo non potest tali conceptui respondere alius conceptus obiectiuus communis & oppositus correlatiue, vt simile non dicitur ad aliud simile in communi, nec æquale ad aliud æquale in communi, sed solum ratione indiuiduorum, in quibus datur vnum æquale distinctum ab alio. Et de his verum habet, quod dixit Augustinus in lib. Categoriar. cap. 11. *Specificiter, ac regulariter, vt hæc categoria manifestius dignoscatur, non recte dicitur aliquid, nisi cum singulare ad singulare refertur.* Verum est statim ponere Augustinum exempla non solum in relatiuis æquiparantibus, sed etiam in eis quæ diuersorum sunt nominum & rationum, tamen in his nihil impedit, vt dixi, quo minus vnum etiam in communi ad aliud commune correlatiuum referri intelligatur. Et in hunc modum hoc notauit Scotus in 1. d. 21. & alij.

VI.

Hæc doctrina probabilis est, & licet supponat vnum fundamentum falsum, nimirum vnum relatum terminari formaliter ad suum correlatiuum, nihilominus potest esse utilis ad explicandum, quomodo possint correlatiua assignari, quando nostris conceptibus abstrahuntur, & in communi concipiuntur: sic enim recte sine dubio dicitur, non nisi in relationibus dissimilium nominum & rationum posse vnum relatum commune alteri communi respondere: in relatiuis autem æquiparantibus, aut in relatiuis in communi non posse, quia, cum hæc abstrahuntur vel à relatiuis eiusdem rationis, vel simpliciter ab omnibus relatiuis, vnite concipiuntur vtrumque relatum per modum vnius secundum id in quo conueniunt: & ideo non potest huiusmodi relatio communi aliud æquale correspondere. Et ideo etiam de huiusmodi relatiuis in communi conceptu recte dicitur, non esse de essentia eius vt immediate illi sic conceptu respondeat æquale correlatiuum, sed satis esse vt dum contrahitur ad inferiora, in eis inueniatur hæc relatiuorum reciprocatio. Imo addo, loquendo de relatiuis in communi, non esse de essentia eius, vt etiam mediate, & in inferioribus exerceat dictam reciprocatorem relatiuam, quia communis ratio relationis predicamentalis vt sic, non postulat vt ei saltem vt contracta ad inferiora, respondeat altera relatio in alio extremo: nam si hoc esset de essentia relationis in communi, omnibus relationibus specificis deberet conuenire: at hoc falsum est, nam relationibus non mutuis minime conuenit. Nec refert, quod eis possit respondere relatio rationis in alio extremo, quia hoc non spectat ad essentiam relationis realis, cum sit mere extrinsecum ex imperfectione nostra.

VII.

Atque hinc vterius colligo, cum relatum in communi definitur esse ad aliud, illud aliud non potest accipi pro correlatiuo, quia per illam definitionem traditur aliquid essentiale relatiuo vt sic: non esse autem essentiale relatiuo vt ei respondeat correlatiuum, neque immediate & in communi conceptu, neque in suis particularibus omnibus, vt ostensum est. Quod præterea confirmatur, quia si illud aliud, est ipsum correlatiuum, quæro an sit correlatiuum reale, aut rationis, vel alterutrum indifferenter, sed iuxta exigentiam inferiorum relationum: nihil autem horum dici potest. Nam duo prima membra facile excluduntur, quia neutrum eorum potest esse vniuersale omnibus relationibus, vt satis constat ex dictis. Tertium etiam non est verisimile, tum quia aliàs illud aliud, valde æquiuoce sumeretur, cum relatum rationis fe-

re æquiuoce relatum sit: tum etiam, quia (vt dicebam) correspondentia relationis rationis non est ex naturis rerum, ideo non potest ad essentiam relationis pertinere.

Dico igitur, illud aliud in dicta definitione dicere terminum relationis vt sic, qui non dicit correlatiuum, vt tale est, sed aliud extremum, prout in se habet sufficientem rationem terminandi: quæ ratio fere semper est absoluta: & si interdum est aliqua relatio, non tamen vt exercet munus relationis oppositæ alteri relationi, sed prout in se habet aliquam vnitatem, vel similem rationem communem rebus absolutis.

Vnde infero vterius, relationem in communi posse concipi vt habentem aliud ad quod dicat habitudinem, non solum in suis inferioribus, sed etiam vt conceptam illo communissimo conceptu, nam relationi in communi correspondet etiam terminus in communi. Neque inde sequitur dari duo genera summa, quia terminus in communi non est aliquid relatum vt sic, & ideo non constituit in predicamento ad aliud aliquid genus.

Dices: Ergo saltem constituet commune aliquod genus alterius predicamenti, quod est plane falsum, quia illa ratio termini vagatur per omnia predicamenta, imo & extra predicamentum, quia ipsi Deo conuenit. Respondetur negando consequentiam, quia illa ratio termini non est in reb. aliqua ratio vel proprietas realis aliquo modo distincta ab ipsis, vel accidens ipsis, sed est ipsamet entitas vniuersaliusque rei, quatenus apta est ad terminandam relationem alterius. Quæ ratio est quasi transcendentalis, & forte non est vniuoca, præsertim cum in Deum & creaturam conueniat. Vnde sub ea ratione in nullo predicamento per se ponitur, sed reduci potest ad predicamentum relatiuorum, tanquam quoddam additum sicut ponitur in definitione eorum. Potestque hoc à simili declarari, quia sicut conuenit relationi in communi habere terminum, ita & habere fundamentum: nec videtur dubium, quin hæc ratio fundamenti relationum possit aliquo modo in communi concipi tanquam adequate respondens relationi etiam in communi conceptæ, quia in propria natura relationis predicamentalis vt sic includitur, quod supponat fundamentum, & in eo rationem aliquam, ob quam confurgat seu resultat. Non est autem necesse vt hæc communis ratio fundamenti sit aliquid genus, sed est ratio, quasi transcendentalis, quæ vagatur per omnia predicamenta. Vnde Aristot. quantitati attribuit per modum proprietatis, quod sit sufficiens fundamentum equalitatis vel inequalitatis: qualitati vero, quod sit fundamentum similitudinis, vel dissimilitudinis (ita enim has proprietates ibi declarauimus.) Quæ ratio fundamenti vt sic non est in eis aliqua ratio respectiua, neque etiam est aliqua ratio absoluta distincta ab ipsis, sed est ipsamet entitas vniuersaliusque quatenus per se habet talem aptitudinem, & ideo ad predicamentum vniuersaliusque formæ reducitur per modum proprietatis, & indirecte possit reduci sub ea ratione ad predicamentum relationis tanquam fundamentum eius: ita ergo de relationis termino existimandum censeo. Atque hæc sint satis de primo puncto.

Quomodo supremum genus relatiuorum ad inferiora descendat.

Secundus punctus huius sectionis est, quomodo hoc summum genus relationis per variâ generavi que ad infimas species descendat, seu diuidatur. Quæ res magna ex parte declarata est in superioribus, in quibus varias diuisiones relationis attrigimus & explicauimus. Quarum prima ac præcipua fuit trimembris, per varia fundamenta genere diuersa, quæ sub his nominibus vnitatis, actionis, & mensu-

VIII.

IX.

X.

XI.

ra recenseri solent. Ex quo facile intelligitur, sub quolibet horum membrorum ulterius procedi posse v.g. in primo per varios modos unitatis: & quia sub unitate multitudo subintelligitur, primo diuidenda erunt relationes unitatis à relationibus multitudinis seu diuersitatis, & postea, iuxta varios modos unitatis aut multitudinis realis, diuidetur etiam sub vtroque genere relationis. Idemque proportionally dicendum est de actione, & consequenter etiam de passione, & de potestate actiua & passiua, vel latius etiam de causa & effectu, si hæc omnia sub illa voce comprehenduntur. Ac denique idem est de ratione mensuræ, nam etiam in eo genere variantur relationes, iuxta diuersas proportionales mensurarum, & mensurabilium.

XII.
Diuisione
relationis in
mutuam,
& non mu-
tuam, qua
uisionem alicuius
membrum præcedentis diuisionis,
lis.

Ex hac autem diuisione insurgunt alie, quæ in superioribus etiam tactæ sunt nimirum diuisio relationis in mutuam & non mutuam, quæ satis late declarata est. Ex dictis tamen constat hanc non esse subdiuisionem alicuius membri præcedentis diuisionis, sed potius esse aliam adæquatam diuisionem relationis in communi completentem sub vno membro scilicet, sub relatione non mutua tertium membrum prioris diuisionis, & nonnullas alias relationes contentas sub prioribus membris: sub altero autem membro comprehendentem fere prima duo genera præcedentis diuisionis. Possent autem hæc duæ diuisiones ita subordinari, ut prius diuidatur relatio in eam quæ ex vi fundamenti formalis non est mutua, & eam quæ ex vi fundamenti seu ex genere suo id non habet: & hæc rursus subdividatur in relationem fundatam in actione, vel unitate, & sic procedatur, donec in illis duobus generibus perueniatur ad relationes inter Deum & creaturam, quæ non tam ex formali ratione fundamenti seu rationis fundandi, quàm ex peculiari natura & conditione Dei habent, quod sint non mutue: & ita facile erit per subordinatas diuisiones huiusmodi prædicamentum constituere.

XIII.
D. Dam.
dictum ex-
plicatur.

Illud enim animaduersione dignum est, Diuum Damascenum in sua Dialectica c. 50. cum alias plures relationum diuisiones ponat, hanc prætermisisse, imo significare, non recte consentire hanc diuisionem cum relationum natura: siquidem (ait) *mutua habitudo, ea que ad aliquid sunt efficitur*. Veruntamen hæc verba, vel non sunt intelligenda de singulis relatiuis, sed de complexu vtriusque: ille enim vere consistit in mutua habitudine, non est autem necesse ut talis reciprocatio saltem realis in omnibus relatiuis interueniat: vel, si illa verba applicantur ad singula relatiua, mutua habitudo intelligenda est cum proportionem, quia ex parte relationis necesse est ut ad aliud tendat ex parte vero termini ut sit ad quod aliud tendit. Quod vero Damascenus illam diuisionem prætermiserit, mirum non est, quia non omnia dixit quæ de relationibus dici possunt: & fortasse causa fuit, quia nostro modo concipiendi omnes apprehenduntur ut mutue.

XIV.
Diuisio re-
lationis in
eiusdem
vel diuersa
appellatio-
nis

Altera diuisio supra tacta est in relationem eiusdem vel diuersæ appellationis, seu æquiparantiæ vel disquiparantiæ, & hanc late tractat Damascenus dicto capite 50. quam subdividit in relationem præcellentiam, ut esse dominum, esse maius, esse causam: & relationem inferioritatis, ut esse seruum, effectum, aut minus, &c. quæ subdivisiones ad relationes disquiparantiæ pertinent, nam in relationibus æquiparantiæ, cum sint eiusdem rationis, non potest esse illa diuersitas. Et fortasse inter res creatas nunquam reperitur relatio disquiparantiæ, absque illa diuersitate: tamen inter personas diuinas inuenitur sine præcellentia vel inæqualitate, nisi quis velit cum Patribus Græcis ipsum ordinem originis dignitatem appellare: de quo aliàs. Hæc autem diuisio in rigore & proprietate sumpta non est diuisio relationis in communi, sed mutue: nam non

mutua cum non sit reciproca, non est eiusdem neque diuersæ rationis in vtroque extremo. Nihil quis velit sermonem extendere ad eam denominationem correlatiuum, quæ ex relatione rationis sumitur: sic enim omnia correlatiua erunt eiusdem vel diuersæ denominationis. Denique hæc diuisio, ut ex dictis constare potest, non datur per id quod per se ac formaliter pertinet ad rationem relationis, quia ut diximus, una relatio formaliter non terminat alteram: unde neque dat illi speciem aut essentialem diuersitatem: quando autem vni relationi altera respondet eiusdem vel diuersæ rationis, est indicium diuersitatis fundamenti ac termini formalis: & ita quod attinet ad constitutionem huius prædicamenti, hæc diuisio ad præcedentes reuocanda est.

Differentia essentialis, & specifica relationum unde sumenda.

Vna tamen poterat superesse quaestio circa hunc secundum punctum, videlicet unde sit sumenda distinctio specifica & essentialis relationum vsque ad ultimas species, an scilicet ex fundamento, vel ex termino. Aliqui enim ita distribuunt inter hæc duo munera ut dicant à fundamento habere relationem entitatem, à termino autem speciem seu essentialiam, & distinctionem essentialem. Alii vero vtrumque munus vtrique attribuunt, vnicuique in suo genere. Quod mihi non displicet existimo tamen vtrumque dicendi modum recte explicatum continere veritatem. Itaque formaliter & intrinsece relationes constituuntur suis propriis differentiis in propriis speciebus, & per eas essentialiter distinguuntur, hoc enim commune est omnibus rebus. Tamen quia totam suam essentialiam habet relatio in ordine ad terminum, ideo ab illo quasi ab ultima forma extrinseca sumit suam specificationem, & ideo per illum distinguitur & definitur, ut supra dictum est sectione 8. Quia vero etiam fundamentum formale est per se & intrinsece requisitum ad relationem potest dici etiam concurrere ad essentialiam relationis, quasi per modum causæ materialis extrinsece. Et ita Diuus Thomas interdum hoc tribuit fundamento, interdum termino, ut patet ex 3. parte, quaestione 35. articulo 5. & 1. parte quaestione 32. articulo 2. Vbi simpliciter id tribuit termino, quia ille est quasi ultimum & magis formale respectu relationis: vide Soncin. 5. Metaphyl. qu. 32. & supra dicta sectione 8. numer. 9. & sectione 10. numer. 14.

Sintne plures relationes solo numero diuersæ simul in eodem subiecto.

Circa tertium punctum occurreret hoc loco quaestio de indiuiduatione relationum: certum est enim, quod sicut in cæteris prædicamentis constitutio linearis prædicamentalis descendit à supremo genere vsque ad indiuidua, ita etiam in hoc: controuersum autem est, an sicut ad essentialiam constitutionem & specificationem relationum concurrat suo modo terminus, ita etiam ad indiuiduationem. Ex quo pender etiam decisio illius vulgaris quaestiones an idem subiectum sub eadem ratione specifica referatur ad plures terminos eadem numero relatione, vel diuersis. Quaestionem sufficienter, ut existimo (est enim res non magni momenti) attigi supra disp. 5. sect. 8. vbi de indiuiduatione accidentium, & an possint esse plura numero in eodem subiecto, generatim tractaui.

Et iuxta principia ibi posita sine vlla difficultate concedi potest plures relationes solo numero differentes respicientes diuersos terminos, esse simul in eodem subiecto, ut verbigratia duas paternitates in eo-

in eodem homine respectu duorum filiorum. Quia effectus formalis vnus non est omnino similis effectui formaliter alterius, vt citato loco declaravi numero 15. Itē quia posito vno argumento resultat aliqua relatio, quæ omnino pendet ab illo, addito vero alio termino additur nouus respectus, qui manebit etiā si alter terminus destruat. Itē quia vnusquisque terminus est totalis terminus alicuius relationis, quā doquidem illo solo posito confurgit aliqua relatio. Et similes rationes possunt facile multiplicari, propter quas Scotus, & alii, quos ibi citavi, hanc opinionem amplectuntur. Neq; in ea est difficultas alicuius momenti, præter eam generalem, quod accidentia indiuiduantur ex subiecto, de qua citato loco satis fufē dictum est.

XVII. Quoniam vero in hac re potest magna ex parte dissentio esse in modo loquendi, aduertendum est, aliter producendum esse, si tenemus relationem esse rem, vel modum realem ex natura rei distinctum à fundamento. aliter vero, si solum ratione distinguatur. Nam iuxta priorem sententiam non potest consequenter negari, quin multiplicatis terminis realiter augeantur respectus, & quin, addito nouo termino, aliquid reale addatur præexistenti relatio. Vt cū pater generat secundum filium, aliquid respectuum acquirit, quod antea non habebat, & quæ distinctum ab ipso ac erat paternitas quam antea habebat, quia hoc conuincunt, consequenter loquendo rationes factæ. Et quia est omnino eadem ratio, nam si Petrus cum genuit primum filium, indiguit noua rem, aut nouo modo reali distincto, vt ad illum realiter referretur, cum non etiam quando de nouo incipit referri ad secundum. Neque enim dici potest priorem entitatem aut modum sufficere, tum quia non potest effectus formalis crescere, nisi realiter crescat forma, tum etiam quia prior relatio, adæquate referebat ad primum filium, & ab illo pendet in esse, & in definitione, & cognitione: non enim cognoscitur hæc relatio vt hæc numero, nisi vt referens ad hunc numerum terminum, vt aperte Arist. declarauit in predicam. c. de ad aliquid.

XX. Iam vero si semel admittatur, fieri additionem realem in relatio, facta additione noui termini fortasse est solum de nomine questio, an illud additum sit distincta relatio, vel componat vnam cum præexistente, sicut secundus gradus cum primo componit vnum calorem, ita enim aliqui explicant vnitatem huius relationis, ne videantur in infinitum relationem multiplicare, & vt vniuersæ defendant illud axioma, in vno subiecto tantum esse vnum accidens vnus speciei. Veruntamen qui sic loquuntur, non possunt satis illam vnitatem explicare, nisi tantum denominatiue, ratione vnus subiecti seu suppositi. Nam si consequenter loquantur, necesse est vt dicant, tantam esse distinctionem inter paternitatem ad primum filium, & ad quod additur patri, genito secundo, quanta est inter paternitatem ipsam & fundamentum eius: itaque si hæc distinguuntur realiter, vel modaliter, etiam illa. Probatur, quia relatio paternitatis ad primum filium ita comparatur ad id quod additur respectu secundi filii, vt possit illa paternitas esse sine hoc addito, & è conuerso possit manere hoc additum, & costituere patrem sine illa prima paternitate: ergo si paternitas est modus realis distinctus, quia est separabilis à fundamento, etiam ipsi duo modi erant inter se actu distincti, ex natura rei, quia vnus est separabilis ab alio, & è conuerso. Et similiter, si paternitas est propria entitas realiter distincta à fundamento, etiam illi duo respectus erunt inter se realiter distincti, vt recte & consequenter docet Scotus, quia sunt mutuo & vicissim separabiles. Ostensum est autem supra disputatione 7. quando dicitur, quæ duo ita distinguuntur in re, vt vicissim & vnum sine alio, & alterum sine altero manere possit, & aliqui non sunt modi alicuius subiecti cum quo

habeant identitatem realem, tunc illud esse sufficiens signum distinctionis realis inter illa. Sed relationes, iuxta illam sententiam, non sunt modi, sed propriæ entitates realiter distinctæ à subiectis, inter se, ita comparantur respectus patris ad primum filium, & ad secundum, vt & prior sine posteriori & posterior sine priori existere possit: ergo distinguuntur inter se vera distinctione reali.

XX. Posita autem hac distinctione, nulla ratio reddi potest, cur illæ non distinguantur vt duæ relationes, vel cur dicantur esse duo gradus, vel duæ partes vnus relationis, & non potius relationes duæ. Primum enim non recte æquiparantur gradibus intensiōis: nam inter hos gradus est subordinatio per se, & in eis est propria compositio & vno per propriam latitudinem, vel propria indiuisibilia: vt præcedenti disputatione declaratum est: illæ autem duæ relationes non habent subordinationem per se: neque enim vna per se supponit alteram, vel ab illa pēdet, neq; habet vnaquæque earum latitudinem aliquam in se, sed est mere indiuisibilis in ordine ad suum terminum: vnde neq; propriè componunt aliquam latitudinem quasi continuum, quia hæc non componitur ex indiuisibilibus. Deinde, nullum aliud genus vniōis inter illas duas entitates excogitari potest ob quam dicantur esse duæ partes vnus relationis, quia neq; inter se comparantur vt potentia & actus, neq; habent inter se aliam habitudinem præter eam, quæ est esse in eodem subiecto. Et hoc à fortiori confirmari potest ex his quæ supra diximus de simili habitu vnitatis vel compositione Phys. Imo illa vnitatis vel compositio artificiosa quæ in habitibus consideratur, vix potest habere locum in relationibus, & ideo de illa nihil tractatur.

XXI. Alio vero modo posset quis excogitare vnitatem huius relationis ad plures terminos nō per additionem aut compositionem realem, sed per mutationem relationum: ita vt vnaquæque in se sit indiuisibilis: differunt tamen inter se, quia vna habet pro adæquato termino vnam rem, verbi gratia, vnum filium, alia vero duos, alia tres, &c. Vnde iuxta hanc sententiam, quando pater secundum filium generat, noua quidem relatio ei acquiritur, non tamen præexistenti additur, sed prior perit, & alia de nouo resultat, quæ indiuisibiliter & adæquate refert illum hominem ad duos filios, & non ad plures nec pauciores. & si generet tertium, amittat illam, & acquirat aliam referentem ad tres eodem modo. Quod enim vna relatio possit adæquate respicere plures terminos indiuisibiliter, certum videtur. sic enim in relatiuis realibus prædicamentibus totum refertur ad plures partes vel vnitatis ad binarium relatione subdupli, & in transcendentalibus idem intellectus respicit plura intelligibilia in adæquate, & in relatiuis eadem relatio generis respicit plures species. Sic ergo intelligi potest in quocunq; genere vel specie relationum dari aliquas in indiuidua, indiuisibiliter, & adæquate respicientes plures terminos, qui respectu illarum erunt partiales, ex illis vero confluet terminus adæquatus, qui sit vnus collectione quadam: & ideo talis relatio non confurgit nisi posito adæquato termino non vero posito vno vel altero partiali: è conuerso vero aufertur seu mutatur ablato, vel addito quocunq; termino partiali, quia hoc ipso mutatur terminus totalis.

XXII. Tandem hoc modo opinantur multi de relatione vnus filii ad patrem & matrem. Nam quod illa relatio, per se loquendo sit vna indiuisibilis, inde sit probabile, quod pater & mater concurrunt vt vna causa, & per se necessaria, & vnica actiōe (præsertim si mater concurrat actiue.) Vnde alterutro parente mortuo necesse est illam relationem perire, quia si indiuisibiliter respiciebat duos, nec potest diuidi in partes, nec tota manere, cum iam nō habeat adæquatum terminum, nec referat ad duos: perit ergo tota, necessa-

necessarium ergo erit ut oriatur alia, quæ ad vnum tantum parentem referat, si superflus sit, nam vere ac realiter ad illum refertur filius.

XXIII. Sed licet hic modus dicendi ad consequenter loquendum in illa sententia videatur acute excogitatus, tamen re vera est voluntarius, & sine fundamento. Quæ est enim necessitas introducendi illam frequentem mutationem relationum? Alias quoties nova res alba fieret, mutaret cætera omnia alba quæ antea erant suas relationes similitudinis respectu omnium, & novas acquirerent. Deinde, cur pater amitter relationem ad primum filium, genito secundo, cum nihil eorum tollatur, quæ ad esse illius relationis necessaria erant? quia non obstante secundo filio prior semper est sufficiens terminus illius relationis. Item quamvis verum sit, posse vnam relationem respicere plura adæquate, quando per se & ex vi suæ speciei illa requirit, ut resultet vel conservetur, seu ut exerceat suum effectum formalem, ut est in relatione totius, aut subdupli: tamen quando relatio non postulat hoc ex sua ratione, & termini solum per accidens multiplicatur, ut contingit in paternitate, filiatione, similitudine, &c. mere gratis dicitur, consergere vnam indiuisibilem relationem, quæ adæquate respiciat collectionem plurium terminorum. Eo vel maxime, quod plures filii distinctis generationibus producuntur: cur ergo resultabit vna indiuisibilis relatio complectens utrumque terminum.

De relatione filii ad patrem, & matrem.

XXIV. Quod vero dicebatur de relatione filii ad duos parentes, etiam est incertum. Nam aliqui putant in filio esse duas relationes, non solum numero, sed etiam specie differentes, quia existimant relationem patris & matris etiam specie differre, eo quod ille actiue, hæc tantum passiuè concurrat. Ita tenet Fer. 2. contra gen. c. 11. §. Ex istis. Quamquam addat, illas relationes esse duas formaliter, vnam vero realiter seu materialiter: quod non video quomodo consequenter dicatur, supponendo relationem esse quid distinctum in re à fundamento, ut ille supponit.

Ferrariensis opinio improbat.

XXV. Alii vero dicunt, esse vnam relationem ad utrumque parentem, etiam si pater actiue & mater solum passiuè concurrat: & simul aiunt, eandem omnino relationem, & immutatam manere, etiam si alter patrens moriatur. Ita Fonse. libro quinto, Metaphysicæ capite 15. quæstione 5. sectione 3. Sed utrumque est mihi difficile creditu. Primum quidem, quia si mater solum passiuè concurrat, ergo relationes patris, & matris ad filium erunt specie diuersæ, cum habeant fundamenta adeo distincta, ergo fieri non potest, ut eis respondeat vnica relatio in correlatiuo, quod docet Diuus Thomas 1. parte quæstione 32. articulo 2. Quia correlatiua specie diuersa vel sunt termini formaliter diuersi, vel eos indicant: relationes autem habent diuersitatem ex terminis formalibus. Item relatio effectus ad causam diuersi generis etiam est diuersa siue illa materialis sit siue formalis, siue efficiens: si ergo causalitates patris & matris differunt ut efficiens & materialis, relationes in effectu erunt diuersæ. Vnde illa sententia supposita pater & mater non tam component vnam causam totalem, cum non causent in eodem genere, quam collectionem plurium causarum diuersorum generum, qualia sunt materia & efficiens. Secundo est difficile creditu in illa sententia, quod relatio sit vna indiuisibiliter ad patrem & matrem, ut complent vnam causam totalem, tamen & quod eadem relatio integra maneat ablato illo adæquato termino ex altera parte. Quia relatio pendet ex termino adæquato. Quod ita declaro, quia ablato vno parente, iam illa filii relatio non potest habere suum adæquatum effectum formalem, cum non possit referre filium ad utrumque

Fonseca opinio non probatur.

parentem: ergo absolute non potest habere effectum formalem suum, quia, cum indiuisibiliter illum causet, non potest conferre partem eius, & non totum, nec potest tota manere, quin conferat totum effectum, cum non maneat nisi in subiecto, & inherens.

XXVI.

Alii ergo qui cum Galeno, Scoto, & aliis satis probabiliter censent, matrem actiue concurrere, existimant filium referri ad patrem & matrem duabus relationibus eiusdem speciei, & quia diuersitas in cursu paterno & materno accidentaliter tantum est. Et quamvis pater & mater simul componant vnam causam totalem efficientem, iuxta hanc sententiam tamen sicut non sunt vna causa, nisi collectione plurium partialium, ita satis est, ut illis correspondeat vnum correlatiuum collectione plurium relationum. Quamquam hic posset cum aliqua probabilitate dici illas relationes componere vnam, non proprie Physicam vnitate, sed quasi artificiali, & accommodata vnitati termini. Quocunque vero ex his modis de relatione filii sentiat, nihil refert ad dictam sententiam, quam impugnamus: nullum enim auctorem inuenio, qui dixerit, filium cum oritur altero parente amittere relationem quam habet ad utrumque & nouam acquirere, qua ad solam superfluentem referatur, neque id habet illam verisimilitudinem.

XXVII.

Ita ergo sentiendum videtur de multiplicatione relationum solo numero differentium in eodem subiecto respectu plurium terminorum adæquatorum & eiusdem rationis. Quod quidem iuxta sententiam: quam veram existimamus, scilicet relationem non esse rem aut modum ex natura rei distinctum à fundamento facilius expeditur. Quia dubitari non potest, quin respectus ad terminos distinctos realiter, quorum vnus potest sine alio esse, & e conuerso distinguantur ratione ratiocinata, quæ habet fundamentum in re. Vnde sicut hæc distinctio sufficit ut relatio constituat peculiare genus, & censetur quasi alia forma à fundamento, ita etiam sufficit ut illi respectus ad diuersos terminos dicantur plures relationes numero distinctæ eo genere distinctiohis quod in huiusmodi relationibus locum habet: scilicet rationis ratiocinata. Et ita facile tollitur admiratio de multiplicatione relationum, & omnia argumenta, quæ in contrarium obici solent, difficultatem non habent: præsertim his suppositis, quæ de principio indiuiduationis diximus: neque etiam ad persuadendam hanc sententiam in hoc sensu oportet per se satis est verisimilis, quæ insinuat sunt, sufficiunt.

XXVIII.

Denique in hoc sensu non multum repugnat Diuus Thomas huic sententiæ, nam. 3. parte quæstione 33. artic. 5. ad 3. ait in vno filio esse vnam relationem ad duos parentes, & duas secundum rationem & e conuerso ait, in pluribus hominibus trahentibus nauim, esse vnam relationem, quod non potest intelligi de vnitate rei, cum subiecto realiter distinguatur: & aliis locis, licet dicat in vno patre esse vnam relationem ad plures filios, dicit tamen in eo esse plures respectus. Et eodem modo loquitur Hispalensis in 3. distinct. 8. notat. 3. & Capreol. ibidem in solut. argument. Non vocantur autem illi respectus plures nisi ob distinctionem rationis: ergo eodem modo dici possunt plures relationes. Ut tandem declaratur à simili, nam Theologi simpliciter vocant paternitatem & spirationem actiuam in diuinis duas relationes propter distinctionem terminorum, etiam si in se ratione tantum distinguantur: quid ergo mirum, quod in præsentia dicantur etiam plures relationes ad plures terminos realiter distinctos?

(.)

S E.